

NOVAE PALMAE CIVITAS  
 ANNO SALVTIS M.D.XCIV. A FLOREN-  
 TISSIMA VENETORVM REPVB. AEDIFICATA.

**P**ALMAE nouæ Ciuitatis typus, quæ in patria Forojuliensi à Venetis ædificatur ad maris Adriatici ostium, quod fuit præteritis sæculis Italiæ calamitatibus quasi fatale. Nam barbaræ quæcunque nationes illac, ad Prouinciam hanc vastandam & subigendam sibi aditum fecere, & Turci ipsi pluribus excursionibus olim vicinas regiones vexauerunt, quibus non erit illud in posterum, per gratiam DEI, tam facile. Nouem habet propugnacula, quæ à se inuicem distant ducentis passibus, circa hæc plateæ circulares ac latæ pro ordinanda acie, & moenibus defendendis. Fossæ, aquis instructæ, quæ eam ambiunt, largæ sunt passus triginta, profundæ duodecim. Portas habet tres, & areas spatiosas nouem. Viæ, ex propugnaculis ad centrum sunt, in quo turris munitissima, ciuitatis subsidium. Habet diametrum sexcentorum passuum.

Nomina propugnaculorum.

- |                  |                  |                  |
|------------------|------------------|------------------|
| 1. S. Fortunati. | 4. S. Laurentij. | 7. S. Mariæ.     |
| 2. S. Hermacori. | 5. S. Iustinæ.   | 8. S. Clementis. |
| 3. S. Crucis.    | 6. S. Stephani.  | 9. S. Eufemiæ.   |

Forma nummorum ex omni metallo, sub fundamentis huius  
 Propugnaculi positorum, Anno reparatæ  
 salutis M. D. XCIII.

